

August. serm. XIII. de verb. apostoli, qui nos gratis sanaret: qui sanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad istam benevolentiam potest. Quis est qui dicat: Sanem te et do tibi mercedem? Dat enim sanatio pignus vitæ æternæ. Ad hæc addit: *Pascam illas in iudicio*, h. e. sapienter et discrete juxta merita. Pastor eas oves, quæ crescere et fetus gignere debent, ad pascua arida in montes cogit: quæ ad macellum destinatæ sunt ad pascua pingua, sita in convallibus: illas arcet a pascuis rore melleo inspersis, has eo saginat. Non dissimili ratione Christus, quia duplicis sortis oves habet; alias, quæ sunt veræ oves nomine et re alias, quæ videntur et vocantur oves, revera autem sunt hirci potius: illi sunt electi, hi vero præsciti. Audite pastorem nostrum, cit. cap. Ezech. mox subjicientem: *Ecce ego iudico inter pecus arietum et hircorum*. Ubi vero? Primo, in hoc sæculo, ubi oves et arietes pascit tribulationibus, juxta id Isa. XXX. *Dabo vobis panem arctum et aquam brevem* (Septuaginta vertunt: *Panem tribulationis et aquam angustiae*.) hircos vero seu reprobos impinguat bonis, hujus sæculi terrenis; ut saltem hic fruatur bonis, qui frui ibi noluerunt; præsertim quia et ipsi subinde aliquid operantur boni, non ex Deo nec pro cælo: sed viribus naturæ et pro terra.

VI. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*: exponendo se periculo vitæ pro tuendis illis; deinde æstu, frigore, pluviis, vigiliis, laboribus, earum causa susceptis sese conficiendo et vires atterendo, ut præmaturam mortem ælerumque incurrat. Fecit in hoc etiam officium pastoris boni Christus, et quidem excellentissime. Non enim solas curas, vigiliis et labores omnes impendit suis ovibus, sed ipsam etiam vitam; et primo absoluto, non secundum conditionem accelerationis tantum, ut alii pastores: ipsi enim ratione unionis hypostaticæ debebatur immortalitas: cæteri pastores debent aliquando mori, tametsi ovibus se non impendant, Christus non debebat. Unde dixit Dominus: *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam a meipso*, Joan. X. Poterat enim reddere se invulnerabilem et impassibilem. Hinc in cruce clamans expiravit: ut ostenderet se sponte mori, cum adhuc vivere posset, si vellet; sicut vires habuit ad clamorem extollendum; ex quo indicio conjectavit centurio, ipsum plus esse quam hominem, adeoque Deum.

Dedit animam suam innocentissimam pro ovibus nocentibus. Scimus quidem Davidem, cum videret peste plecti populum suum, ad Deum exclamasse: *Vertatur obsecro, manus tua contra me*; adeoque mori paratum fuisse pro suo populo: verum id jure fecit; quia ipse pec-

carat, non populus: *Ego sum, qui peccavi, ait, isti, qui oves sunt, quid fecerunt?* Reg. ult. Contrarium in Christo fuit, oves peccarunt, pastor quasi innocens agnus fuit.

Tertio, dedit vitam hominis Dei, toto mundo pretiosorem, pro vita hominum, servorum sibi subjectorum, et quidem dedit pro omnibus, ut dare paratus etiam esset pro singulis. *Non enim*, ait S. Chrysost. in cap. II. epist. ad Gal. *Dominus recusaturus erat ob unum tantam exhibere dispensationem: adeo singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem universum*. Hæc est illa charitas ejus, quam *nimiam* appellat apostolus ad Ephes. II. Quomodo enim non nimia, cum pro unum terræ vermiculum sicut omnes curaverit, cum pro uno solo servo suo vitam suam dare voluerit et quidem ad crucis patibulum?

Quarto, dedit gratuito, nihil a nobis expectans. Alii pastores expectant a suis ovibus lac, caseos, carnes denique earum. Nihil tale a nobis sperare potuit Christus, quia dare nil poteramus. «Poterat nulla offerre opprobria, ait Chrysostomus, in cap. XV. ep. ad Rom. poterat quæ passus est non pati, si quæ sua erant, spectare voluisset. Verum noluit, sed quod nostrum erat, respiciens, quod suum neglexit.» Et S. Bernardus, serm. II. de cæna Domini: «Sustinuit in assumpta carne peccata nostra: et hoc totum non propter se, sed propter nos: ut redderet nos incolumes de infirmis, cohæredes de extraneis, liberos de servis.»

Vidimus auditores, quam juste et quam vere pronuntiarit de se Christus, quod de ipso prædictum fuit: *Ego sum pastor bonus*. Quando igitur fuit, hodieque adhuc est pastor bonus, videamus nos, ut simus oves ejus bonæ.

CONCIO III.

CHRISTIANI SUNT OVES.

I Nemini sint injurii. — II. Sint mites et injuriam patientes. — III. Concordes sint. — IV. Sint pastoribus obedientes. — V. Timeant peccatum velut lupum. — VI. Sint utiles etiam proximo. — VII. Provideant morti suæ.

THEMA.

Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili.
Joan. X.

Primus noster parens, Adam, ubi ad ipsum Deus adduxit animalia, singulis sua nomina, naturis eorum, quas optime norat, convenientia dedit; quæ et ipsis remanserunt: *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*, inquit Moyses ejus, Genes. II. Secundus et cælestis noster Adam et parens Christus Dominus longe adhuc perspicacius agnovit re-

rum omnium naturas et proprietates, adeoque quale nomen ipse creaturis dederit, ipsum est et remanebit nomen ejus. Hic ergo in hodierno evangelio, quo nomine nos appellat? Non elephantas, non equos, non cervos, non boves, sed oves; voluit enim, ut Christiani ovium naturam et proprietates moribus suis ostenderent. Non erant quidem gentiles eo tempore, quod id dixit Christus, ex ovibus Christi, sed potius ex lupis et hircis Satanæ. Providit tamen Christus eos per evangelium in oves commutandos, et a suis apostolis ad ovile suum adducendos. Dum igitur hoc audimus, jure merito nos deceret flectere genua nostra, et ipsi gratias immortales agere, qui oves nos appellare dignatus est, cum adhuc lupi essemus, et ex lupis oves facere. Quando ergo nunc per gratiam ipsius in ovili ejus sumus, superest ut revera oves simus; ne in nobis eludatur vaticinantis Christi verbum. Id vero, qua ratione fieri debeat, audiamus.

I. Oves solæ fere ex omnibus brutis sunt inermes, unde nulli animalium nocent, nullum odio habent, a nemine timentur, et nos medios inter ovium greges secure ambulamus, quia cedunt omnibus. Tales sint Christiani: nemini inimici, nemini injuriosi; adeoque nec terrorem ullum, sed pacem et affabilitatem præ se ferant erga omnes, ut hac nota dignoscantur. Hujusmodi fuisse primos Christianos sæpe testatur Tertullianus, cujus illud celebre dictum est: *Christianus nullius hostis est*. Jubemur enim a Christo diligere etiam inimicos, nedum amicos. Idem in apolog. adversus gentes: «Tot a nobis nocentes, inquit, variis criminum elogiis recensentur; quis ex illis sicarius est? (Scilicet Christianus?) Quis manticularius? Quis sacrilegus aut corruptor, aut lavantium prædo? Quis ex illis etiam Christianis adscribitur? Aut cum Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De vestris semper æstuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestię saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascent, nemo hic Christianus, nisi plane tantum Christianus, aut si et aliud, jam non Christianus. Nos soli innocentes.» Et sane istud est, quod nobis præcipit apostolus, I. Corinth. XIV. cum ait: *Malitia, parvuli estote Græce, infantes, quemadmodum et Christus, agnus appellatus est a Joanne: qui plane nemini nocere ulla ratione potest*. Unde Sanctus Maximus homilia quarta in pasch. ait: «Habet et christiana simplicitas infantiam suam. Sicut enim infans nescit irasci, fraudare non novit, referire non audet: ita et christianitatis infantia lædentibus non irascitur, spoliantibus non resistit, cedentibus non repugnat, etc. nisi quod in hoc melior quam naturæ

infantiæ: ista enim peccare nescit, illa contemnit.» Memoriæ proditum est hastam illam Constantini Magni bellorum fulmen, cum ipse animum ad christianam mansuetudinem traduxisset, in crucem fuisse erectam; ut quæ antea telum extitisset plenum terroris, eadem esset asylum benignitatis, uti refert Causinus, lib. XII. sym. cap. XXV. ex Baron. anno 312. Uti hastam in crucem, ita animum ferocem mutavit in placidum et benignum. Qui enim prius ex levi suspicione filium et conjugem occiderat, ipsamque Neronis ferociam spirare videbatur, ut enarrat Barorius, anno 324. post susceptum baptismum ex leone in ovem transit, ita ut injurias suas, graves licet, minime ulcisceretur, sed rideret. Paulum ex lupo in agnum, suscepta fide, mutatum nemo est, qui nesciat. Id vero omnibus convenire Christianis discimus ex Isaia, qui de illis vaticinatus est, cap. II. *Constabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces*, q. d. depositis armis pacifice inter se vivent, quasi agricolæ intermes, non quasi milites armati.

II. Mitissimæ insuper sunt et injuriam patientissimæ: patiuntur se non modo tonderi, sed deligari et ligatas ad ephippia equorum suspendi, a lanionibus hinc inde jactari, nec tamen vociferantur; quinetiam tondentibus se lanam denuo afferunt, simul et lac et agnos: omnis injuriæ oblitæ. Tales esse etiam decet Christianos, si Christi oves esse et haberi volunt; quemadmodum et Julianus apostata objecit Christianis, cum eos bonis suis spoliaret, in exilium ageret et aliis modis vexaret. *Vestrum est pati* (aiebat accedentibus ad se, et de injuriis illatis sibi conquerentibus) *cum afflictumini; hoc enim est Dei vestrum mandatum*, apud Baron. anno 362. Nequiter quidem, vere tamen, non enim solum Christi mandatum sed etiam exemplum luculentissimum habemus; siquidem is sicut ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnum coram tondente se obmutuit; ut prædixit Isaia, cap. LIII. necnon Jeremias, cap. XI. *Et ego*, (inquit in persona Christi) *quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, et non cognovi*. Non est discipulus super magistrum: justum igitur est, ut ipsum pro viribus imitemur; quod sane agnovit apostolus cum ad Roman. octavo scripsit: *Propter te* (fidem scilicet et confessionem nominis Christi) *mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis*. Ad litteram quidem id dicitur, Psalm. XLIII. de Macchabæis vexatis et afflictis, quin et morte mulctatis ab Antiocho Epiphane, ut notat ibi Theodoretus: rectissime tamen intelligitur etiam de Christianis, qui ad majorem perfectionem obligantur, quam Macchabæi. adeoque etiam ad majorem

patientiam; unde apostolus subdit: *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos, Christum scilicet. Nihil obest ovibus lanae detonsio imo vero prodest, ne per aestatis calores in ea suffocentur: ita Christianis nihil demit persecutio, sed plurimum conducit. Quid faciunt sancti mali?* ait Augustinus. Psalmo LV: *Capillos radunt, nam illi capilli superflua rerum temporalium significant; quia enim sine sensu praeceduntur illis, qui Deo adherent, sic habent ista terrena tamquam capillos.* Tales certe erant primi Christiani, uti discimus ex Athenagorae philosophi Athen. christiani apologia ad M. Aurelium Antonium et Commodum imp. ubi ait: « Non movet nos domine; quod facultatibus nostris adversarii moliantur: non quod existimatio fama et honoris nostri imminuatur integritas: non si quid aliud huiusmodi aut etiam majus est, cui nocere homines queant, metuendum id nobis videtur: Quippe haec etiam si vulgo maximi fiant, contemnere solemus, etc. » Porro qui tondentur, non se commovere sed sapientes esse debent; quemadmodum et oves, dum tondentur; si enim se commoverent ac reniterentur, male sibi consulerent, quia una cum lana pellem forfex auferret. Pari modo Christianus patientem se exhibeat, cum tribulatur, ne sibi plus noceat. Ita monet apost. 1. Thes. 3. *Nemo moveatur, inquit, in tribulationibus istis; ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus, d. q. ad hoc Christiani facti sumus, ut adversa patiamur et tondeamur. Audiant hoc omnes Christiani,* ait ibi Theophylactus, se nimirum ad hoc positos et vocatos esse; ad tribulationem, ad crucem cum Christo, et pro Christo fortiter sustinendam. Neque solum ad patiendum positi sunt Christiani, sed etiam ad benefaciendum suis persecutoribus. Ita enim idem apostolus, 1. Corinth. IV. ait: *Maledicimur et benedicimus, persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus. Hoc ovium, hoc Christianorum est benefacere et mala pati,* ait Philo. Carphatius, in Cantica.

III. Maxime inter se concordēs sunt: in angusto enim ovili quam plurimae constrictissime conclusae summa tranquillitate cohaerent, eaque coherētia se mutuo calefaciunt. Eadem concordia decet Christianos, qui omnes unius pastoris oves, unius parentis filii sunt, idēoque primi Christiani se mutuo fratres appellabant. Mirabantur id gentiles, et interim dolebant, quia per eorum concordiam vinci se videbant, ipsos vero triumphare. Unde Minutius Felix Tertulliano aequalis in Octavio ad ipsos scribit: *Sic mutuo, quod doletis, diligimus; quoniam odisse non novimus: sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unus Dei parentis filii, ut consortes fidei, ut*

spei cohaerēdes. Hoc insigni, hac nota discernantur a gentilibus Christiani: *Odisse non novimus: quod utinam de nobis etiam dici possit.* Et vero id deberet, si consideremus quod apostolus ad Romanos VI. ait: Nos in baptismo consepultos esse cum Christo in mortem. Numquid enim non uno baptismo omnes baptizati sumus, uno ergo sepulcro omnes consepulti. At quis nescit mortuos in eodem sepulcro et cœmeterio, etiam qui prius hostes erant et cane pejus se oderant, summa jacere pace et concordia? Si ergo in baptismo mortui et consepulti sumus, unde adhuc inter nos discordiae, lites, odia, rixae? Agnus paschalis in una domo comedi debet, ut praecipit Exod. XII. vers. XLVI. *In una domo comedetur, nec offeretis de carnibus ejus foras: ad indicandum, debere esse unanimes et concordēs, adeoque unius animi, unius cordis et voluntatis, unius patrisfamilias filios, denique unius mortis in domo, qui agnum illum pacificum volunt manducare in sacra eucharistia, quae est sacramentum unionis.* Certe Herodes, et Pilatus, dum agnum illum immaculatum quasi simul et unitum comedunt, ille deridendo, hic vero condemnando ad mortem reconciliati sibi et facti sunt amici in illa die, inquit Lucas, cap. XXIII. Bone Deus! Judaeus et gentilis sibi reconciliantur, dum persequuntur Christum, agnum innocentissimum: et Christiani inter se dissident, qui toties agnum illum simul edunt in una ecclesiae domo.

IV. Pastori suo obediunt ad nutum, ita ut ad ejus sibilum unum, mox relicto pabulo eum sequantur, et vocem ejus audiendo, quid sibi velit intelligant ac sine mora obsequantur. Est haec parendi promptitudo primaria etiam dos hominis christiani, maxime necessaria. Quemadmodum enim oves sine pastoris ductu mox aberrant et ubi deviarunt, per se redire ad gregem vel caulam nesciunt nisi reducantur, teste Aristotele, lib. IX. anim. cap. III. « Repit in deserto sine causa, ait, hieme obstante ipsum saepe egreditur stabulo: occupatum a nive, nisi pastor compulerit, abire non vult, sed perit desistens, nisi mares a pastore ducantur: » ita etiam homines sibi relicti statim deviant, nec redire per sese possunt, nisi a pastore aliquo adjuvi. Sensit hoc ipse David, quantumvis alioquin illuminatus et propheticus rex: qui semel cum errasset, haesit in errore illo per integros novem menses, non forsitan ad Deum rediisset, sed magis magisque aberrasset, nisi Deus ad ipsum prophetam alium misisset, Nathan videlicet, ejus directorem. Hinc ipse lamentatur Psal. CXVIII. *Erravi sicut ovis, quae perit, quare servum tuum.* Senserunt etiam Hebraei, quia contra edictum Moysis adeoque soli

et Moysē pastore destituti, conati sunt ascendere montem Idumaeae, et per illum penetrare in Chanaan. Nam obviavit eis hostis, et: *Percutiens eos atque concidens persecutus est usque Horama,* Num. XIV. Deviantem a grege ovem deprehendit lappas, leo vel ursus, et correptam devorat. Hominem etiam, qui deserto pastore et grege suo, libertatem suam sequitur, deprehendit non difficulter diabolus. Ita Ill. Reg. XIII. prophetam, qui mandato Dei non paruerat ad nutum, dum a recta via sibi injuncta deflexit, in reditu invenit leo et occidit: in pœnam inobedientiae, quae etsi mortalis culpa non fuit, ut plerique volunt, morte tamen horrenda plexa fuit.

V. Lupum, capitalem hostem suum, timent adeo, ut canes, et quidquid lupi speciem aliquo modo refert, fugiant maximopere. Imo Albertus M. lib. 4. hist. anim. cap. XXXVIII. scribit, si funiculum ex intestino lupi sepeliveris in terra, ovile pecus eo transire prohibebis; etiamsi fuste adigatur. Christianus fugiat peccatum, velut pestem et hostem sibi omnium nocentissimum; quin etiam omnem peccati speciem juxta id apostoli 1. Thessal. V. *Ab omni specie mala* (seu ut alii bene etiam legunt, *mali*) *abstinetis vos.* Saepē enim sub ovina pelle lupus latet. Ex omnibus malis unum dumtaxat terribile est peccatum, ut ostendit S. Chrysostomus, in ep. ad Olympiam. Et homil. XV. ad populum: *Calamitatum, inquit, nomina philosophantibus tantum nomina rebus carentia: vera autem calamitas, Deum offendere:* et in Psalm. CXXXIX. *Nihil est quod laedat hominem, nisi solum peccatum: eo enim sublato omnia sunt facilia et expedita.* Nec mirum, quia caeterae calamitates, ubi cessarunt, desinunt in consolationem; at peccati voluptas, ubi transiit, desinit in amaritudinem. Refert ex Aristotele Pierius, lib. X. hierogl. pelles ovium a lupis admorsas pediculos generare: quas qui induit, continuo illorum morsibus cruciatur. Prorsus ita peccatum si quem momorderit, mox in eo conscientiae vermem omni cruciatur saeviore, continuo rodentem, et cor exulcerantem gignit. Porro qui munditiam amant, non sinunt eos vermiculos diu apud se nidulari, ne illorum praeda fiant; sed quam plurimam vel unicum advertunt, illico vestem mutant aut expurgant. Idem agere Christianorum est: si forte a peccato admorsi sunt, et remorsum cordis sentiunt, mox per penitentiam illud emundant. Oves quae glaciem lanae adherentem non excutiunt, brevi interiturae creduntur, velut admodum debiles. Christianus etiam, qui peccata sua non festinat expiare, et per confessionem excutere, pessimo iudicio mortis filium se declarat.

VI. Sunt animalia homini utilissima. Dant ei lanam; unde se vestiat, sicque evangelicam legem observant: *Habentes duas tunicas dant unam non habenti,* uti dixit S. Martinus, videns ovem tonderi: deinde dant ei lac in potum, foetus etiam, et ipsas denique carnes suas in cibum. Tales etiam esse decet Christianos, non sibi tantum utiles, sed etiam proximo suo. « Neque enim Deus vult, ait Chrysostomus, Rom. VIII. in Genes. ut Christianus seipso tantum contentus sit; sed ut alios aedificet, non per doctrinam solum, sed etiam per vitam et conversationem. » Et homil. XX. in Acta: « Nihil frigidius Christiano alios non juvante. » Et post pauca: « Tales sunt, qui non paverunt Christum. Vide enim horum nulli impropere sua (in die iudicii) peccata, non quod scortati sint, non quod pejerarint, nihil omnino, sed quod alteri non fuerint utiles. » Propterea eos, qui a dextris Christi stabunt, vocavit oves (quae hominem vestiunt sua lana, cibant suis carnibus, potant suo lacte), quia nimirum aliis utiles fuerunt: qui vero a sinistris, haedos: velut steriles et inutiles. « Talis erat, subdit Chrysostomus, qui talentum defoderat, irreprehensibilem quidem exhibens vitam. Qui autem alii non est utilis, dic mihi, quomodo erit Christianus? Si fermentum commixtum farinae non commutaverit totum in alium habitum: numquid fermentum tales est? Quid etiam si unguentum non implevit odore accedentes, unguentumne dicemus? » Sic ille. Porro tales oves erant primi Christiani, qui per singulas dominicas offerebant suas eleemosynas, quae mitterentur et dividerentur pauperibus Christianis; quo nomine commendat apostolus imprimis Macedones, qui summa in paupertate sua liberalissimos se praebuerunt, et: *Dederunt semetipsos primum Domino, deinde nobis,* inquit, II. Corinth. VIII. Rursum Galatis, ad quos scribit, cap. IV. *Testimonium perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi.* Durarunt vero collectae et datae eleemosynae illae usque ad tempora, Theodosii imper. ut observat Corn. in II. Cor. VIII.

VII. Ad finem diei avidius comedunt in pascuis, uti etiam heme adventante, quo nimirum sibi provideant in futuram noctem vel hiemem. Ita decet sapere etiam Christianos, et sibi in adventantem senectutis hiemem, ipsamque mortis noctem bene providere de pabulo spirituali verbi Dei, et honorum operum, frequenti imprimis usu panis eucharistici. Ita monet et argumentatur S. Basilius, hom. IX. in hexam. « Oves inquit, accedente hieae, pabulum copiosius avidiusque ventri ingerunt; proinde quasi sibi viaticum providentes pro indigentia

cibi futura. » Et mox : « Non tute tibi eandem, o homo, diligentiam adhibebis ? Non hoc tempore præsentem fruges tibi recondes ? Requiemque ad futurum, *Arzææ* (et ovium) exemplo parabis ? » Jam audimus S. Ambrosium, ser. XIV. in Ps. CXVIII. « Quæ sunt pascua fidelium nisi Christus ? Ipse enim pascit et reficit. Bona pascua divina sacramenta sunt. Carpis illic rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem. » Hinc antiquitus Christiani ad martyria se præparabant per frequentem usum eucharistiæ, ut colligitur ex Tertulliano et Cypriano : *Cum ad hoc, ait Cyprianus, ep. LIV. fiat eucharistia, ut possit accipientibus esse tute læ, quos tutos esse contra adversarios volumus, armemus. Elias cum per longum iter quadraginta dierum usque ad montem Dei Horeb pergeret, prius ad hoc ab angelo confortatus est pane subcinericio, capiti ejus apposito. Cumque comedisset Elias, rursus obdormit, reversusque angelus excitatum denuo jubet comedere : Grandis enim tibi restat via, inquit, III. Reg. XIX. Quis nescit grandem nobis viam ex hoc sæculo in alternum aliquando conficiendam ? Qui ergo ad iter illud se jam quasi accingunt, jure meritoque non semel sed sæpius cælesti illo viatico sese muniunt et confortant.*

Denique, nec irreligiosæ sunt oviculæ, quæ solent flectere genua antequam decumbant : et observatæ sunt aliquando flectere genua venerabundæ ante imaginem B. Virginis, dum in pascua exirent ac redirent, Smelcemis prope insulas, ubi ea imago adhuc in veneratione et miraculis comprobata est, teste Balinghem, in calend. B. Virg. 30. maii. Docent ergo nos etiam pietatem in Deum et B. Virginem.

Vidimus nonnihil ovium proprietates ; superest ut eas in nobis agnoscamus, si pastore Christo gaudere, ejusque prædicationi atque expectationi respondere, ac demum sub ejus protectione securi esse volumus. Quinimo non difficile vincemus hostes nostros, non secus ac duodecim apostoli mundum subjugarunt, quia velut oves in lupos missi fuerunt. Unde S. Chrysostomus, homil. XXXI in Matth. ait : « Certe quousque sumus oves, facile hostes vincimus : cum vero in naturam luporum transimus, tunc superamur : tunc enim nobis nullum a pastore patrocinium adest, qui non lupos, sed oves pascit : atque cum in lupum te converteris, abit confestim et relinquit te. » Sic ille. Hujus rei ut memores simus, gestamus Christiani Agnum Dei in pectore, velut monile fidei et professionis nostræ. Simus ergo in animo, quod foris ad pectus gerimus, ne dicatur nobis : *Foris Cato, intus Nero* : foris agnus, intus lupus.

CONCIO IV.

OVES CHRISTI, QUOMODO COGNOScant PASTOREM SUUM.

I. Norunt ubique præsentem et sibi invigilantem, et timent. — II. Norunt se vocantem, et parent. — III. Norunt beneficientem, et gratos se exhibent. — IV. Norunt castigantem et patienter ferunt. — V. Norunt misericordem simul et injustum : unde post lapsum mox resurgere conantur. — VI. Hinc et timent eum offendere velut justum.

THEMA.

Cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.

Joan. X.

Experientia confirmat id, quod asserit Dominus in hodierno evangelio ; cognosci nimirum pastorem a suis ovibus ; quod tamen in aliis pecoribus non ita apparet. Alia enim cogi ad pascua et stabula debent a pastore subsequente : oves non item, sed sequuntur præcedentem quasi eum norint, teste eodem Domino : *Oves eum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur ; sed fugiunt ab eo, quia non norunt vocem alienorum*, Joan. X. Eadem hæc diversitas manifeste apparet in justis et injustis. Illi velut oves Christi agnoscunt pastorem sibi præsentem, agnoscunt se vocantem et præcipientem, agnoscunt se pascentem, agnoscunt flagellantem, agnoscunt ut Deum, agnoscunt ut patrem ; nihil horum norunt, qui non sunt oves Christi : nesciunt pastorem suum ; unde fugiunt ab eo. Qua sane ignorantia quid esse perniciosius potest ? Ecce enim isti, qui Christi oves non sunt, tam grandia admittunt scelera ? Quia non norunt Deum sibi præsentem. Cur vocem ejus non audiunt ? Quia nesciunt vocantem. Cur ingrati sunt beneficiis ? Quia non agnoscunt beneficientem. Cur flagellis non emendantur ? Quia nesciunt flagellantem. Cur non timent et reverentur ? Quia nesciunt esse Deum. Cur non toto corde amant ? Quia nesciunt esse patrem et amicum. Unde fit, ut etiam servos Dei spernant, fugiant, subsannent, persequantur ; qui non noverunt eorum Dominum. *Hæc facient vobis, inquit Joann. XVI. quia non noverunt Patrem neque me.* Quia igitur hæc ignorantia tot malorum causa est, superest, ut nos velut oves Christi tueamur oculos nostros, ne quo pulvere turbati cæcitate impiorum, qui pastorem suum nesciunt, et ipsi incurant.

I. Qui oves Christi sunt agnoscunt et reverentur pastorem suum, velut sibi præsentem et invigilantem ubivis locorum. Quemadmodum enim pastor bonus a grege non discedit, sed adstat continuo et vigilantem attendit oculo : ita oves Christi cogitant et norunt adesse sibi Deum suum. Hinc in eis oritur primo, honor et reve-

rentia erga eundem, ubicumque tandem sint ; quia coram eo se adstare sciunt. Hinc viri sancti tam cauti et tam compositi in omnibus suis actionibus, quia semper memores præsentiae divinæ, uti Elias dicere solitus : *Vivit Dominus, ante cujus conspectum sto*, III. Reg. XVII. et rursus : *Vivit Dominus, ante cujus vultum sto*, III. Reg. XVIII. Elisæus et alii, qui per hoc sanctum exercitium ad sanctitatem pervenerunt, et in ea perstiterunt. Stetit aliquando Christus in medio turbæ audiens concionantem Joannem et baptismum ab eo petens. Joannes eum summa reverentia excipit et accedentem a se arcet, asserens se indignum, qui ejus calceamenta solvat ; cæterique aderant, nihil omnino horum præstitero Christo, imo velut unum de plebe, ut conjectare licet, truserunt et compresserunt in conferta turba, nec vel minimum honorarunt ; et quamobrem ? Quia Joannes illum noverat, isti non noverunt, adeoque nec curarunt. Unde Joannes : *Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis, cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, Joan. II. Quem si æque novissent alii, procul dubio coram ipso in terram omnes supplices et venerabundi corrussissent. Judæis illis simillimi sunt, qui ad Dei præsentiam nullatenus attendunt, quia vel non credunt eum semper sibi adesse, vel certe non considerant ; quomodo improbi illi in lib. c. II. dicunt : *Quid novit Deus ? Et quasi per caliginem judicat : nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cæli perambulat*, q. d. quomodo in tanta locorum distantia sciat quid nos agamus ? Ad cardines cæli, ubi nullus motus, sed summa quies est, sub quibus etiam nemo habitat, quietus sibi vacat, nec ad nos attendit. Hinc uti in omnem peccandi licentiam nullo pudore ruunt : ita etiam nullo stimulo ad bene agendum incitantur, cum Deum etiam nesciant spectatorem bonorum operum. E contra oves Christi oculo pastoris sui et a peccatis cohibentur, et ad virtutem stimulantur. Quantum enim putatis calcar additum S. Stephano ad strenue certandum pro Christi nomine ex præsentia, et conspectu ipsius agonothetæ ? Quem si lapidatores ejus similiter conspexissent, utique in Stephanum nequaquam sæviissent, sed una potius cum ipso Christum adorassent.

II. Norunt se vocantem, quotiescumque audiunt sibilum aut vocem ejus, adeoque statim parent : quemadmodum et agni e millibus aliis matribus suam agnoscunt vel ex sola voce, alias non audiunt. Ex illorum numero comprobatur fuisse centurie, qui ex adverso Christi crucifixi stabat, et audiens vocem expirantis Domini dixit : *Vere hic homo justus, et Filius Dei erat.* In quæ verba S. Bernardus, ser. XXVIII. in Cant. ait :

« Ergo ad vocem credit, voce agnovit Filium Dei et non ex facie. Erat enim fortasse ex ovibus ejus de quibus ait : Oves meæ vocem meam audiunt, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ. » Et mox : « Auri Dei Filius, auri formosus innotuit : sed non Judæorum ; quia erant incircumcisi auribus. » Ex eodem fuisse creditur mulier Samaritana, (nomine Photina, uti habet martyrologium Romanum) quæ ad vocem Christi, asserentis se Messiam, sine hæsitacione credit, et currens ad civitatem, suis concivibus ipsum annuntiavit, Joann. IV. Quam vocem si Scribæ et Pharisei, necnon sacerdotes Judæorum ex ore ejus audissent, haud dubio lapides sustulissent, et in eam, æque ac in Christum, projecissent quia non erant ex ovibus ejus, sed odio et invidia cæcati sprevisserunt eum. Ex eorum numero erat Saulus, quando voce Christi increpatus agnovit vocem pastoris sui, et dedit manus ad obediendum fidei : non erant ejus comites, qui vocem Christi quidem audierunt, et cum Saulo ab ea prostrati, non tamen conversi sunt. Vocem pastoris sui agnovit mox et intellexit Petrus, quando e custodia Rom. digressus obvium habuit Christum dicentem sibi : *Vado Romam iterum crucifigi*, apud Hegesipp. de excid. Jerosol. Vidit enim Christum his verbis sibi insinuare, ut Romam reverteretur et martyrio se offerret. Pastoris hujus vocem audivit Antonius, quando Ecclesiam ingressus lectis illis Domini verbis : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, etc.* tamquam sibi dictis mox requievit et possessiones vendidit, in quibus erant 300 uberes palmæ : modica portio sibi reservata pro sororis alimento. Rursus ecclesiam ingressus cum audisset illud Domini : *Nolite cogitare de crastino*, reliquam quoque portionem pauperibus distribuit : sorore fidelibus, ac notis virginibus commendata, ut in vita ejus Athanasius. Vicissim oves Christi se non esse demonstrant, qui evangelium ita audiunt, quasi ad alios tantum, non ad se spectarent ea, quæ dicuntur, ac multo magis qui aures suas evangelio prorsus claudunt, vel ita sæculi negotiis, voluptatibus et tumultibus eas obtundunt, ut vocem cælestis pastoris percipere non possint.

III. Norunt beneficientem, quotiescumque donum aut beneficium aliquod accipiunt ; mox enim ipsi adscribunt atque acceptum ferunt, gratias agendo velut datori. Ita Sanctus Petrus ex ingenti et stupenda piscium captura, apprehendit Christum ejus fuisse auctorem, siquidem ipse prius tota nocte, tempore commodiori, nihil deprehenderit ; ideoque in genua procidens ipsum adoravit, præsentia ejus se indignum judicans, Luc. V. Similiter et Joannes postquam advertit ingentem piscium multitudinem, ad